





3:00 Monday

00 72



Bibliotheca  
Lycei Torgensis  
Carolus Godofredus Nieße  
Senator.  
No. 112. 1000. 2111111111.







5

DE  
TEMPORIBVS ET MODIS  
VERBI GRAECI ET LATINI

---

PARS PRIMA

---

SCRIPSIT ET  
AMPLISS. PHILOS. COLLEGII VENIA  
DIE VI DEC. A C. N. C1919CCCLXVI

PUBLICE DEFENDIT

FRIDER. VOLGANGVS REIZIVS

VINSEMIVS A. M.

ASSVMTO AD RESPONDENDVM SOCIO  
GOTLOB HENR. TRENKMANO

LIPSIENSI LEG. CVLT

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFFIA



IN  
THEATRO ET MUSEO  
MUSEI HISTORICO-NATURALIS  
MUSEI HISTORICO-NATURALIS

MUSEI HISTORICO-NATURALIS

MUSEI HISTORICO-NATURALIS

MUSEI HISTORICO-NATURALIS

MUSEI HISTORICO-NATURALIS





ILLVSTRI ET MAGNIFICO  
S E N A T V I  
VRBIS LIBERAE IMPERIALIS  
VINSEMIORVM.



UNIVERSITÄT WÜRZBURG

SENA T V I

LIBRARIAT UNIVERSITÄTIS

WÜRZBURG





**Q**uae a *VOBIS, PATRES AM-  
PLISSIMI*, in me fratresque  
meos beneficia profecta sunt, ea quo ego animo et  
acceperim, et meminero, sinite me, qui rebus non  
possum, hac epistola et *VOBIS*, et aliis demonstra-  
re. Iam primum quod in Vrbe *VESTRA* et bona-  
rum legum disciplina, et litterarum publica doctrina  
flore: magna est felicitatis nostrae pars, quod ibi  
nati, educati, et instituti sumus. Quarum itaque re-  
rum ad nos fructus redundavit, quorum studiis et  
consiliis patria nostra illas debet, eos non possum  
non vel hoc nomine optime de nobis meritos esse sta-  
tuere. At cetera beneficia quae nobis proprie tri-  
buis, quanquam vel numero, vel genere, vel op-



portunitate, vel dignitate sunt excellentia, tamen a me non tam ideo amantur, quam quod ea nobis vel ultro, vel rogati sic tribuistis, ut quanta esset VESTRAE in nos benevolentiae magnitudo, clarissime posset intelligi. Ut enim de stipendiis primum dicam, quibus et ego, et deinceps fratres mei a VOBIS adiuti necessarios in studia sumtus facere potuimus, quam et liberalia nobis, et quam libentibus animis illa et decreuistis, et praebuistis! Duorum fratrum natu minorum alter in Academiam profecturus erat, alter adhuc patriam scholam frequentabat, cum inpositum nobis fratribus luctuosa optimi parentis morte commune vulnus, illos ita penitus afflixit, ut nos duo maiores fratres eorum calamitate quam nostra ipsorum infelicitate vehementius commoueremur. Quae, o Deus, fuerunt in hoc tam graui nostro casu erga illos voluntates et VESTRAE singulorum, et plurimorum Urbis VESTRAE ciuium, commiserantium omnium alienam vicem! Quod genus fauoris, amoris, caritatis, munificentiae omissum est a tota ciuitate, quod parens noster, si viueret, optare potuisset? Plane VESTRIS in  
nos



nos factis exemplum datum est, nihil maius relinqui a parentibus liberis posse, quam conciliatam recte agendo et bene merendo benevolentiam uniuersorum. Non ita diu post inuitatus a VOBIS ad publici muneris functionem frater natus secundus, Domino ipsius Celsissimo cum non dimittente, iterum a VOBIS est biennio circiter post adeo et amanter, et honorifice ad eiusdem sacri officii munus obeundum vocatus, ut non potuerit non VOBIS obedire. Fere per idem tempus fratrem natum tertium ex Academia reducem Tabulario VESTRO praefecistis. In hos praesentes, et quantum possunt patriae seruientes, quae bonitatis et benignitatis VESTRAE constantia sit, nullas eorum litteras legi quibus non praedicarent. Sed iisdem litteris perspexi ego non semel, quam praeclare VOS omnes etiam de nobis duobus absentibus, quamque beneuole sentiretis. Nam si aut meae, aut fratris minimi qui apud eundem Celsissimum Comitem in fratris locum successit, rationes tulissent, alterutri nostrum aditum ad VOS iudicio VESTRO patuisset. Quod igitur me fratresque meos non modo tot et tantis beneficiis cumulastis, verum etiam tam praeclaris



claris iudiciis ornastis, eaque re patris nostri  
beatis manibus honorem habuistis; eosque, si re-  
rum humanarum sensus mortuis est, gaudio affe-  
cistis, quodque susceptam erga nos beneuolen-  
tiam perpetuo conseruatis, modisque omnibus de-  
claratis: primum gratias ago immortalis Deo,  
cuius Numini parent omnia; deinde autem etiam  
**VOBIS, PATRES AMPLISSIMI,**  
omnibusque ciuibus **VESTRIS,** quibus ullo  
beneficio deuincti sumus: rogoque **VOS,** vt  
hunc tenuem libellum, studiorum meorum seras  
primitias, tanquam pignus aliquod pietatis erga  
**VOS** meae, libenter velit accipere. *Valete,*  
*Lipsia, die III Dec. a C. N. CI<sup>o</sup> IO CC LXVI.*

DE





DE  
TEMPORIBVS ET MODIS  
VERBI GRAECI ET LATINI.

---

DE  
TEMPORIBVS IN VNIVERSVM.



Temporum verbi quae ratio esset, aliter Stoici et eos qui secuti sunt, aliter vulgo reliqui exposuerunt. Stoici quomodo exposuerint, aliquanto melius nossemus, nisi eorum libri de arte Dialectica periissent. Hanc enim, vt ex Diogenis Laertii Zenone constat, diuiserant in locos duos, quorum in altero qui praecipiebat de voce, quandam quasi Grammaticam philosophicam erant complexi. Nunc hoc tantum scimus, id quod a nemine adhuc notatum est, a nobis autem demonstrabitur paullo post, rationem temporum Varronianam (*de Analog. II. et III. passim*) Stoicis auctoribus tribuendam esse. Quae cuiusmodi sit, volumus ita explicare, vt suppletis quae defunt, vim eius totam aperiamus. Omnis res quae fit, geritur, agitur, et originem, et progressionem, et finem habet. Itaque nulla dum temporis habita ratione, debet res quaeque posse tripliciter significari, et vt futura, et vt inchoata, et vt absoluta. Iam

A

tem-



tempus in vniuersum triplex est, praeteritum, instans, futurum. Vnoquoque igitur verbo pro illis tribus eiusdem rei significandae modis in totidem formas diuiso, quarum posteriores duas Varro appellat verbum infectum et perfectum, deinde singulis formis per terna tempora variatis, existunt omnino tempora nouem, quae hac tabella in conspectu posuimus:

## VERBI

		FVTVRI	INFECTI	PERFECTI
TEM- PVS	PRAET.	(ἐμέλλον γράφειν. scripturus eram.	ἔγραφον. scribebam.	ἔγεγραφαί. scripseram.
	INST.	(μέλλω γράφειν. scripturus sum.	γράφω. scribo.	ἔγραψα. scripsi.
	FVT.	(μελήσω γράφειν. scripturus ero.	γράψω. scribam.	γεγραφώς ἔσομαι. scripsero.

Patet hanc rationem esse plenam et absolutam, neque praeter haec nouem tempora vllum aliud quod necessarium vsum habeat, cogitari posse nisi verbi perfecti praeteritum infinitum. Id enim praeteritum verbi perfecti quod superior illa continet ratio, aequae atque instans et futurum eiusdem verbi finitum est. Sicut enim horum alterum ad id quod nunc agitur, alterum ad id quod in posterum agetur, est referendum: sic etiam illud ad id quod posterius agebatur. Ideo quoties aut praeteritum, aut futurum verbi perfecti adhibetur, indicatur simul res ad quam referri debeant. Homerus Od. XII, 329. Ἄλλ' ὅτε δὴ νῆος ἐξέφθιτο ἦμα πάντα, καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον &c. Xenophon Symp. IV, 7. Ἐάν ἔν ἐνέγκῃ τις κέρμυον, αὐτίκα μάλα τῆτό γε ἀφελήμενοι ἔσεθε ἠδίων γὰρ πιέθε. Instans autem verbi perfecti quia refertur ad rem quae nunc agitur aut agenda est, si non aut hanc narramus, aut alterum ad eam exhortamur, fit vt id tempus nulla adiuncta re ad quam pertineat, vsurpetur. Theophrastus Char. IV. Διαγίνεται δὲ τέρας φάσιον λέγειν, ὡς Πολυσπέρχων καὶ ὁ βασιλεὺς μάχη νενίκηκε, καὶ Κασάνδρος ἐξώγει ἡμίαι. Hoc euentum refertur ad futuram ciuitatis



tātis mutationem, quam intelligi satis habens famigerator, nihil addidit. *Lysias Orat. XI. vlt. Διηκούατε, εωράκατε, πεπόνθατε, έχετε, δικάζετε.* Id quo priora illa pertinent, addidit hortandi causa, *indicate.* Plato *Euthyphr. pr. Καί έμεί γάρτοι, όταν τι λέγω έν τή εκκλησία περί των θεών, προλέγων αυτοίς τα μέλλοντα, καταγελάσιν ώς μαινομένα· καιτοι έδεν ό,τι εκ αληθές είρηκα ών προείπον.* Semper verum se dixisse ait Eutyphron, vt ostendat immerito se derideri. Derideri autem se, in re praesente necesse non habens narrare, si tantum diceret, *καίτοι έδεν ό,τι εκ αληθές είρηκα ών προείπον,* id quorsum dixisset, intelligeretur. At res praeteritas fieri potest vt narrare velimus et vt absolutas, neque vt ad aliquid posterius referendas. Ergo nobis opus est aliquo verbi tempore praeterito, quod rem absolutam infinite significet, h. e. sine vlla relatione ad aliam aliquam insequentem.

Atque hoc tempus et habent Graeci, et *aoristum* vocant, h. e. infinitum, subintelligentes praeteritum. *Θεουδότης Αθηναίος ξυγγράφη τον πόλεμον των Πελοποννησίων και Αθηναίων, ώς έπολέμησαν προς αλληλας.* Latini creduntur aoristo carere: neque sane formam eius habent propriam et peculiarem, vt Graeci: sed eius loco instans adhibent, sublata rei absolutae relatione ad id quod nunc agitur. *Urbem Romam a principio reges habuere.* Sic nec linguae nostrae Germanicae deest aoristus, huius ei vsus praestante praeterito verbi infecti, nulla rei inchoatae significatione adiuncta. *Am Anfang schuf Gott Himmel und Erde.* Quem duplicem vsus eiusdem temporis qui ex nobis aut ignorant, aut minus discernunt, ii saepe risum peritioribus mouent, si lingua Latina, vel etiam Anglica, Francica, Italica vtuntur. Ceterum etsi hae tres linguae sicut Graeca peculiaris et propriae terminationis aoristum habent, rursus tamen cum Germanica plane conueniunt, in eo quod vtraeque aliquando, sed Germanica tamen et saepius et licentius, instans verbi perfecti pro aoristo vsurpant. Nam Germani quidem etiam si de re quae ad nullam nunc instantem pertineat, agatur, si eam neque particulatim, neque continueate cum alia re antegressa narrent, sed modofummatim et simpliciter aut nuntient, aut commemorant,



vtuntur instante verbi perfecti, non aoristo. At Galli, quorum in hoc genere rationem, quantum didicimus, etiam Itali atque Angli plane sequuntur, neque vt Germani semper, neque vt Graeci nunquam aliter solent narrare, aliter annuntiare, vel commemorare. Si enim et rei et orationis tempora disiungant, quod fit cum addunt *heri, superioribus diebus, praeterito mense, anno, seculo* etc. tum siue narrent, siue annuntient, vel commemorent, non instans verbi perfecti, sed, vt Graeci, aoristum solent adhibere. Sin temporis spatium intra quod res euenit, definiunt aut nullum, aut praesens, id quod fit adiecto pronomine demonstratio *hic, haec, hoc, vt hodie, his diebus, hoc mense, hoc anno* etc. tum si eam rem non volunt narrare, sed annuntiare tantum, vel commemorare, ipsi quoque non aoristo, sed, vt Germani, instante verbi perfecti vtuntur. Quae Gallorum, Anglorum et Itatorum consuetudo induxit plane ipsorum Grammaticos, vt et aoristum vocarent praeteritum definitum, et instans verbi perfecti, praeteritum infinitum. Est ergo temporis instantis verbi perfecti vsus pro aoristo apud nos Germanos haud paullo quam apud illos et frequentior, et violentior. Nos enim etiam quae intra praeteritum iam temporis spatium euenisse dicimus, ea nuntiantes vel commemorantes adhibemus instans verbi perfecti. Atqui si et rei tempus distinguas ab eo tempore quod nunc instat, et nihilominus ad rem illam significandam tempus instans verbi perfecti adhibeas, quantus hic est huius temporis abusus? Verum nos Germani rursus narrantes aliquid, abutimur nonnunquam similiter etiam tempore instante verbi infecti, adhibentes illud in re cuius tempus alio modo indicamus iam praeteriisse. Quanto melius Graeci, qui etiam in re quam ab eo temporis spatio quod nunc instat, non remouerunt, si eius respectum ad id quod nunc agitur, nullum aut possunt, aut volunt exprimere, aoristum vsurpant. Itaque Imperatoris Titi memorabilem illam meritoque laudatam vocem, *Amici, diem perdididi*, Graece sic apud Themistium (*περὶ τῆς Φιληκόσις τῆ βασιλείας*) legimus, *Τῆμερον ἐν ἐβασίλευσαι ἔδεναι γὰρ εὐποίησαι*. Nam earum rerum quas Titus vesperi ageret, nihil sane quid-



quidquam referebat, periisset dies nec ne. Apud Homerum Iliad. XI, 362. Diomedes Hectorem quem ferierat, rursus irruentem conspicatus, Ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κόν' ἤτέ τοι ἄγχι Ἥλδε κακόν' νῦν αὐτὲ σ' ἐρύσσαλο Φοῖβος Ἀπόλλων. Quid enim hostem Diomedes quem feruatum indigne fert, sic alloquatur vt qui ei salutem gratularetur? Achilles de occiso Hectore Paeana canens, ibidem XXII, 393. Ἡράμεθα μέγα κῦδος ἐπέφραμεν Ἐύλορα δῖον. Potuisset dicere, ἤραμεθα, nam ob id ipsum quod hanc tantam gloriam retulit, nunc triumphat: sed quia non erat necessaria triumphum cum victoria comparatio, simpliciter quam relate maluit dicere, ἤραμεθα. Sed aliud maius in aoristi vsu Gallicae ac Graecae linguae discrimen illud est, quod Graeci etiam rem prius altera praeteritam, sed nullo cum ea nexu notabili deuinctam, aoristo exprimunt. Demosthenes de Cor. § 27. Ἐπειδὴ τοῦτον ἐν τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη, — ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιχειρισμὸν ἐζήτηι. Ibidem §. 7. Τὴ γὰρ Φωκικῆ συσάντος πόλεμος, — ὑμεῖς ἔτω διέκεισθε, rel. Plutarchus in Ciceronis vita, (p. 1604. ed. Steph.) Οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον. Quod Latine sic dixerat Cicero, (ad Att. II, 16.) Quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. At Galli nunquam sic aoristo vtuntur: sed aut verbi infinitiui perfecti instanscum socia particula adhibent 1), aut rem priorem ea quae instante verbi perfecti effertur, efferunt instante priore verbi eiusdem 2), et rem priorem ea quae aoristo exprimitur, exprimunt aoristo priore 3), si neutrubi res prior ad posteriorem respiciat: nam alioqui recte vtuntur praeterito verbi perfecti 4). At si res posterior efferatur praeterito verbi infecti, etiam si cum ea prior coniuncta non sit, hanc tamen solent nihilominus praeterito verbi perfecti exprimere 5).

A 3

Quis

- 1) Après avoir long-tems réfléchi etc.
- 2) Aussi-tôt que nous avons eu diné, il est sorti.
- 3) Je n'eus pas plutôt dit cela que je m'en repentis.
- 4) Les Bourgeois avoient pris les armes, quand le Roi est arrivé.  
J'avois déjà écrit lorsqu'il me vint trouver.
- 5) Dès que j'avois diné, on me lisoit des gazettes.



Quis non luxuriam hanc Gallorum cum Graeca temperantia conferens, moderatam breuitatem immensi copia ditiorum esse fateatur? Germani fere semper adhibent praeteritum verbi perfecti; Latini siquando, tum fere, si rei prioris significatio est pars obliqua enuntiationis, ut apud Homerum Iliad. II, 318. Τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεός, ὅσπερ ἔφησε. Quem verbum recte Clarkius interpretatur, *Hunc quidem mirabilem fecit deus, qui ostenderit, h. e. qui portentum fecerat.*

Videamus iam, quibus nominibus quae verbi tempora sint a Graecis et Latinis Grammaticis appellata.

### VERBI

		INFECTI	PERFECTI
TEM- PVS	}	PRAET. (Παρατατικός. (Pract.) Imperfectum.	Υπερσυντελικός. (Pract.) Plusquamperf.
		INST. (Ἐνεστώς. Praesens.	Παρακειμενός. (Pract.) Perfectum.
		FVT. (Μέλλον. Futurum.	Futurum exactum.

Huius tabulae inspectio nos docet, verbi futuri omnia tria tempora utraque in lingua, in Graeca autem etiam tempus futurum verbi perfecti, a Grammaticorum natione ommissa esse vocabulis insigniri. Quod eo factum est, quia tempora illa quae composita essent, nec in verbi declinationis paradigma complexi erant. Nam passivi quidem verbi perfecti futurum, quod simplex erat, μετ' ἄλλογον μέλλονα vocauerunt, quae appellatio exprimit secundariam aliquam eius temporis vim, quam, ut suo loco demonstrabitur, futurum verbi perfecti actiui non habet communem. Sed parui refert carere illa tempora nominibus propriis, quorum usus ad breuitatem aptior est quam ad perspicuitatem. Etsi enim ea nomina quae temporibus ceteris indiderunt, significantia satis videri possunt, ut infra ostendemus: tamen ipsa per se valde inepta sunt ad veram et necessariam temporum inter se omnium rationem et conuenien-



uenientiam declarandam. Ideo qui eam ex illorum nominum significatione demonstrare voluerunt, voluerunt autem fere omnes qui sibi illam demonstrandam sumserunt, eorum etsi multi subtilissime disputarunt, vt verbi causa Iulius Caesar Scaliger, nemo tamen effecit vt intelligi posset, deessetne aliquod verbi tempus an superesset, vel quomodo tandem inter se omnia congruerent atque apta essent. Immo etiam horum vniuersae rationis ignorantia delusi, ne illa quidem eorum vocabula, vt inferius apparebit, satis recte omnia definiendo explicare potuerunt. Itaque praeter illam temporum analogiam quae superius a nobis ex Varrone proposita est, aliam nullam omnino habemus. Adiunximus autem duabus a Varrone positis verbi formis, infecti et perfecti, necessariam tertiam, vtraque illarum priorem, futuri. Quam vtrum etiam Stoici praetermiserint, nobis obscurum est. Nam hos, vt initio diximus, eam rationem quam Varro secutus est, inuenisse ac tradidisse, argumento est quod Priscianus libro de partibus orationis octauo, capite de cognatione temporum, (*p. 309. et sq. ed. Bas. 1568.*) Stoicos ait vocasse tempus praefens etiam imperfectum, et παρακειμενον, τελειον ενεσῶτα. Legebantur enim illis temporibus a Grammaticis quae Stoici de arte scripserant, et in plerisque orationis partibus quae illorum sententia esset, commemorabant. Quo magis miramur Priscianum saltem qui nomina illa praesentis infecti et perfecti probabat, Stoicam doctrinam de verbi temporibus amplexum non esse. Quanquam eius temporis quod praeteritum perfectum dixerunt, duplicem vim et instantis perfecti et aoristi, non magis a Prisciano quam ab aliis intellectam putamus. In Macrobbii quidem, siue potius eius epitomatoris libello de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi, diserte negatur Latinitas aoristum habere. Qui hoc ita simpliciter negare potuit, is quid aoristus esset, vehementer ignorauit. Nec enim propria verbi terminatio aoristum facit, sed rei praeteritae perfectae significatio infinita, h. e. eiusmodi quae rem illam ad aliam posteriorem haud referat. Sed talem significationem apud Latinos habet praeter suam propriam infans



stans perfectum, huiusque vsus illa quam sua propria significatione frequentior est, vt necessario esse debet. Quae causa etiam videntur moti veteres, excepto Varrone, id tempus maluisse ab altera eius significatione praeteritum perfectum, quam ab altera instans perfectum nominare. Priscianus autem valde inconstanter, vt solet, modo et ipse negat (L. XVIII. p. 678.) Latinos habere aoristum, nisi quod pro eo et ἀντι τῷ παρακειμένῳ praeterito perfecto vtantur: num ergo non habent? modo contrarium plane statuens, (L. VIII. p. 31.) *Proprie quis, inquit, contempletur vim praeteriti perfecti, non aliam vim iudicet hoc habere quam apud Graecos illud quod ἀόριστον vocant.* Ergo non etiam vim instantis perfecti? Sed paullo ante (p. 310.) volens vtriusque temporis vim explicare ac distinguere, parakimeno tribuerat significationem rei modo completae, aoristo autem rei tam modo quam multo ante perfectae, atque illud addiderat, *Sed sicut apud Graecos infinitum tempus adiectione τῷ ἄρτι aduerbii τὸν παρακειμένον, et adiectione τῷ πάλαι τὸν ὑπερσυνθετικὸν significat: sic apud nos praeteritum perfectum potest et modo, et multo ante intelligi perfectum.* Quae si vera essent, non fuisset duarum particularum compendium tanti, vt duo peculiaria tempora, instans et praeteritum verbi perfecti, constituerentur. Sed falso tribuit et Priscianus, et maxima pars Grammaticorum, etiam Graecorum, vt Michael Syncellus Hierosolymitanus, (περὶ συντάξεως γραμματικῆς. Venet. 1745. p. 170.) falso, inquam, tribuunt parakimeno significationem tantum rei modo perfectae; hypersyntelico, rei dudum perfectae. Nam parakimenuus potest etiam rem dudum perfectam significare; hypersyntelicus, etiam rem modo perfectam. Nam et instante tempore potest, et praeterito tempore poterat aliquid et modo, et pridem factum esse. Itaque Demosthenes Orat. IV. in Philippum, (p. 126. ed. Basf. per Ioh. Heruag. 1547.) Οὐ μόνον ἤδη πάρεσιν, ἀλλὰ καὶ πάλαι παρελήλυθε. Lucianus autem initio Somnii, Ἄρτι μὲν ἐπεπώμην εἰς τὰ διδασκαλεῖα Φοιτῶν, etc. Res parua, sed maximi momenti illa, Grammaticos istos fefellit. Nam ἄρτι, pro ἔδην, et πάλαι pro τότε acceperunt: cum duae alterae voces, ἔδην et τότε, duas vniuersi temporis partes; duae alterae,

ἀρτι



ἀέρι et πάλοι, vtriusque illarum binas rursus particulas indicent. Atqui ὡν cum hypersyntelico, et τότε cum parakimeno vt construatur, fieri non potest, neque vsus vniquam in tam ἀκατάλληλον et ἀσύστατον constructionem prolapsus est, vt intelligitur ex Theodori Gazae praeceptis, Institutionum Grammaticarum libro IV, περὶ ἐπιθέματος. (p. 311. et sq. ed. Venet. 1756.) Quo animaduerso, tamen sic loqui debuissent, Hypersyntelicum et parakimenum differre, in eo quod alter praeteriti, alter instantis temporis rem perfectam significet: rursus conuenire, in eo quod vterque rem ad aliam aliquam insequentem et connexam referat. Aoristum autem cum vtroque conuenire, in eo quod rem et praeteriti et instantis temporis perfectam significare possit: rursus ab vtroque differre, in eo quod rem non vt ad aliquid posterius referendam, sed absolute ac simpliciter exprimat.

Renascentium litterarum tempore qui Latinam Grammaticam scripsit Gul. Grocinus Anglus, eandem quam Stoici et Varro, temporum verbi rationem proposuerat, vtrum suo ingenio excogitatum, an pro sua venditum, nescio. Et enim duo magni viri, Thomas Linacer (*de emend. struct. Lat. ferm. L. I. §. de tempore, in extr.*) et Iulius Caesar Scaliger, (*de causs. L. L. cap. CXIII. extr.*) minime dubitarunt illam illi tribuere, nisi quod Linacer ex Prisciano disci ait, Stoicos itidem praesens duplex fecisse, imperfectum et perfectum. Sed nemo ex Grammaticis fuit qui Grocinum sequeretur. Linacer quidem eius hanc temporum diuisionem, tanquam viri in omni litterarum genere curiosi, tantummodo indicat; Scaliger acutam admodum, sed minus commodam esse pronuntiat. Neque tamen aliud quidquam in ea reprehendere habet, nisi quod non recte dicatur praesens perfectum: nec enim si quis diceret, *Amavi ego triginta abhinc annis*, annum iam tricesimum praesentem dici posse. Quam reprehensionem vanissimam esse, neque Scaligerum illius temporis duplicem vim, alteram finitam, alteram infinitam, vlllo modo intellexisse, perspicuum est ex iis quae ante sunt dicta. Superiore seculo rursus proposuit

B

eandem



eandem rationem vir longe maximus, Gerardus Ioh. Vos-  
fius, (*de Analog.* III, 13.) vnum Varronem hactenus lau-  
dans, quod et ipse illam agnouisset: ceterum aliis omnibus  
locis retinuit vulgares temporum appellationes; quibus  
Varro nunquam est vsus. Hoc denique seculo vir magna  
et ingenii et doctrinae gloria, Samuel Clarkius, rationem  
illam eandem & probauit, et in scholiis ad Homerum (*Il.*  
*I, 37.*) exposuit ac commendauit. Qui quod in praefatio-  
ne ad Homerum ait paucissimos accurate satis hanc tem-  
porum rationem in lingua Romana tradidisse, in Graeca  
nescire se an quisquam: ostensum est a nobis, eius ipsius  
rationis auctores Philosophos Graecos fuisse, demonstra-  
biturque infra suo loco, Apollonium Alexandrinum vim  
eam quam ex hac ratione parakimenus habet, quod tem-  
pus ceteri Grammatici Graeci praeteritis annumerarunt,  
verissimo et planissimo argumento confirmasse.

Non puto eum qui nuper in tertia Organi parte quam  
*Semioticam* appellauit, (§. 149.) de verbi temporibus dispu-  
tauit similia vulgari Grammaticorum opinioni, Mathema-  
ticum et Philosophum excellentis ingenii et doctrinae Lam-  
bertum, si rationem illam cognitam habuisset, ab ea disces-  
surum fuisse. Habet enim hanc vim eius disputatio, vt ad  
solum temporis ordinem verbi tempora reuocentur. Nam  
tribus partibus vniversi temporis constitutis, quae sunt  
praeteritum, instans, futurum, extremisque ambabus parti-  
bus, praeterito et futuro, cum utrobique aliquid medium  
sit quod et praecurrant et sequantur alia, rursus in ternas  
particulas diuisis, quae tempora existunt numero septem,  
ea omnia hoc vno tantum inter se differunt, quod aliud  
alii antecedit. Sed ea est de ingenio Lamberti mea existi-  
matio, vt si vel paullo acrius attendere voluisset, ego ei pu-  
tem aequae ac Stoicis olim, de actionis cuiusque binis vel  
trinis per singula tempora varietatibus vltro in mentem ve-  
nire potuisse. Nec enim satis est nos indicare posse res  
praeteritas vt absolutas, instantes vt inchoatas, futuras  
vt futuras: cum saepe fiat vt etiam significanda sit res praе-  
terita vel vt futura, vel vt inchoata; instans, vel vt futura,  
vel



vel vt absoluta; futura, vel vt inchoata, vel vt absoluta. Hoc autem discrimen si Lambertus vidisset ac tenuisset, credo eum praeter vniuersi temporis in tres partes diuisionem, ambarum extremarum nullam amplius, certe non in ternas particulas facturum fuisse. Nam vtraque ratione coniuncta, numerus temporum existit viginti vnus, qui profecto nimis existimari debet. Sed ne bifariam quidem fecati praeteriti et futuri vsus valde necessarium esse, tot linguae satis ostendunt, quarum verbi tempora, finita duntaxat, non sunt plura quam quot ex vniuersi temporis et rei cuiusque triplici varietate gignuntur. Latina quidem lingua etsi posset duobus illis praeteritis temporibus quae in verbis passiuus et deponentibus plura quam in actiuus habet, ad remotiorem praeteriti temporis partem significandam vti, minime tamen sic iis vtitur, sed altero eorum plane tanquam aoristo, altero tanquam praeterito verbi perfecti. Ex latina lingua varie cum aliis commixta quae ortae sunt nouae, harum quae plurima omnium habeat praeterita tempora, sine dubio Gallica est. At quibus latinam superat, ea nihil aliud sunt nisi praeterita verbi perfecti, diuersa illa quidem et a primo, et inter se ipsa, verum peculiari significationis modo quodam, non temporis gradibus. Illud vero quod addit Lambertus, difficillimum est intelligere. *Potest*, inquit, *etiam omitti omnis finitio temporis, fere ut in aoristis Graecorum, quibus noster sermo Germanicus destitutus, formulas adhibet. Vielleicht ist es nun geschehen; Nun solle es schon geschehen seyn &c.* Quomodo tandem fieri potest vt omnis finitio temporis omittatur? h. e. vt nulla plane ponatur pars temporis vniuersi? Quid, an aoristus Graecorum est vsquequaque infinitus? Aliud supra docuimus. Nec formulae istae ipsae tam infinitae sunt, vt non tempus aliquod ponant. Quod autem addit, *vielleicht, soll, nun, schon*, quarum vocum duae priores tempus nec tollunt, nec ponunt, duae posteriores omnium temporum sunt communes: qui obsecro ex his vocibus additis aoristus intelligatur? Num *ἔγεννηθη* vel *ἐπαύχεθη* totum illud significat, *vielleicht ist es nun geschehen*? Immo nihil aliud quam aut, *es ist geschehen*, aut, *es geschah*. Quod si et dubitatio et praefens tem-



pus exprimi debent, vt nos Germani *vielleicht* et *nun*, ita Graecus quoque necessario addet vel *ίσως* et *νύν*, vel quae sunt alia significationis eiusdem.

DE  
MODIS IN VNIVERSVM.

**M**odos verbi idem Lambertus non quae ratio diuerfos constituat, sed in cuius generis propositionibus eorum quemque Mathematici et Logici adhibere soleant, indicauit. Est autem ratio modorum haec: Vnumquodque verbum terminationes et finitas et infinitas personis habere debet. Verbum personis infinitum, quod Graeci *ἀπαρέμφοτον*, Latini plerique *infinitium* dixerunt, ideo necessarium est, vt quae actiones voluntati aut facultati nostrae obii-ciuntur, vel quae alioqui simpliciter considerandae sunt, eas exprimere possimus. *Θέλω λέγειν Ἀτρείδας. Εἰ δύναμαι τελέσαι γε. Τὸ φυλάττει τὰγαθὰ τῆ κλήσαδάμ χαλεπώτερον.* Qui praeter hunc alius verbi infiniti vsus plerisque in linguis adscitus est, vt illud adhibeatur post verba dicendi, sentiendi, et animi varie affecti, eum non ita necessarium esse illud arguit, quod neque in eadem lingua perpetuus, et in aliis alius est. Ita Germani et Galli, si actio quae verbi causa laetitiam affert, est eius ipsius qui dicitur, vel se ipse dicit laetari, si illa aut praeterita est, aut instat, eam verbo infinito; sin aut futura, aut aliena est, eam verbo finito coniunctione adhibita exprimunt. Latini cum verbis laetitiam et dolorem significantibus, nullo nec personae agentis, nec temporis actionis discrimine habito, aequo verbum et infinitum, et finitum particula interueniente coniungunt. At Graeci nunquam ista verba ponunt cum infinito: rursus tamen cum verbis dicendi, quibuscum Latini semper infinitum, ipsi et infinitum, et addita coniunctione finitum vsurpant. Verbum personis finitum, est aut rectum, aut obliquum. Rectum vocamus, quod simpliciter ponit rem esse aut non esse, fuisse aut non fuisse, fore aut non fore. Id Graeci *ὀρθικόν*, etiam *ἀποφαντικόν*, Varro verbum



bum fatendi et rogandi, alii aliter, plerique *indicatiuum* dixerunt. Ὅς δὴ πολλῶν πολλῶν κατέλυσε κέρηνα. Ἢδ' ἔτι καὶ λύσει τὴ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Obliquum, rem non simpliciter ponit, sed aut imperat, aut optat, aut subiicit aut circumstantiae alicui infinitae, aut consilio, aut vt possibilem duntaxat ponit. Verbum quo id quod volumus, iubemus, Graeci *προσακτικόν*, Latini *imperatiuum*, et quo rem cupitam optamus, illi *εὐκτικόν*, hi *optatiuum* dixerunt. Ἀνέχεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι. Καρίτεσσιν αὐμ' ἐσθαι. Si tamen res praeterita optatur fuisse quae non fuit, aut non fuisse quae fuit, tum Graeci vtuntur verbo aut indicatiuo, aut infinito, addentes illi particulam *εἶθε*, huic aoristum secundum verbi *ἰφείλω*, ea persona quae in quaque re intelligitur. Apud Lucianum Protefilaus ad Paridem, Εὖ λέγεις· εἶθε ἔν μοι τὸν ἔρωτα ἐνταῦθα λαβεῖν δυνατὸν ἦν. Quidquid enim perpetuo instat, vt ea quae omnino fieri aut possunt, aut non possunt, id enuntiatum oblique, vt cum optatur fieri posse quod non potest, reflectitur semper in tempus praeteritum. Demosthenes Orat. I. in Aristogit. (p. 546.) Ὀφέλε γὰρ μηδεὶς ἄλλος Ἀριστογείτονι χαίρειν. Sed etiam verbum *indicatiuum* et *ἰφελόν* eadem persona coniungi solent. Idem Orat. de Cor. §. 99. ἀ μή ποτ' ἰφελε συνέβη. Reliquas varietates nihil hoc loco attinet recensere. Id autem verbum quod rem subiicit aut circumstantiae alicui infinitae, aut consilio, quoniam et ipsum eiusmodi particulis quae significant aut *ἀοριστολογίαν*, aut *ἀποτελεσμὸν*, semper subiicitur, dictum est a Graecis *ὑποτακτικόν*, a Latinis *subiunctiuium* vel *coniunctiuium*. Ἐάν τις Φιλομαθῆς, ἔσθαι πολυμαθῆς. Τίνας ἔννεκα ταῦτα λέγω; ἢ εἰδῆτε καὶ θεῶσθαι θε, ὅτι &c. Sed in aoristologia significanda operae pretium est notare quid Graeca lingua proprii habeat. Non enim, vt Latina et aliae linguae, tantum ex verbi subiecti forma illam intelligi vult, sed iis particulis quae verbo praemissae circumstantiam aliquam notant, siue illae sint articuli postpositiui, siue nomina relatiua, siue coniunctiones, siue aduerbia, etiam addere solet *ἄν*. Vt ὅς ἄν, ὅστις ἄν, ὁπίστερος ἄν, ὅσος ἄν, οἷος ἄν, ἡλικίος ἄν, ἑάν, (pro εἰ ἄν, de quo qui minus accurate praeceperunt, vt Deuarius, et qui eum non satis intellexit, Grammaticus Marchicus, eos infra corrigemus)



mus) ἐπὶ ἄν, ὅταν, ὅσῳκίς ἄν, ὅπῃ ἄν, ὅθεν ἄν &c. Ceterum et hic verbo indicatio vtuntur. Graeci, si res cuius circumstantiam aliquam infinitam ponunt, aut cuius gratia rem aliam facturi fuissent aut non fuissent, aut vellent factam esse aut non esse, praeterita est, et vt praeterita consideratur. Nam si de re praeterita vt de futura loquuntur, ad tempus quod nondum aduenerat, respicientes, rursus locus est verbo subiunctiuo. Lyfias Orat. XIV. med. Καίτοι δεινόν, αὐτὸς μὲν στρατηγὸς ὑπὸ τῆς δήμῃς χειρολογηθέντας, μὴ ἂν τολμήσαι πρότερον ὑμῶν ἠγησασθαι, ἕως ἂν ἐδοκιμάθῃσαν κατὰ τὰς νόμους Ἀλιβιάδην δὲ τολμᾶν &c. Idem Orat. I. extr. Εἴτα δοκῶ ἂν ὑμῶν, Ἴον συνδειπνῆναι ἀφ᾽ εἰς, μόνος κατὰλειφθῆναι ἢ ἐρημος γενέσθαι, ἢ κελεύειν ἐκεῖνον μένειν, ἴνα μετ' ἐμὲ τὸν μοιχὸν ἐτιμωρεῖτο; Sequitur ibidem aliquot periodis interiectis aliud eiusdem constructionis exemplum. Id verbum denique quod rem vt possibilem duntaxat ponit, h. e. quod ponit aut perfonae vel facultatem, vel voluntatem, vel officium, quibus non impeditis rem factura esset, fuisset, foret, aut rei necessitatem, altera posita futurae, idigitur verbum nullam neque in Graeca, neque in Latina lingua propriam terminationem accepit. Sed Graeci adhibent in rebus instantibus vel futuris verbum optatiuum, in praeteritis indicatiuum, addita vtrique ἂν particula. Haec his verbis addita vocatur μόριον δυνήμιον, et illis indifferenter vel praemitti, vel postponi solet: at alterum illud ἂν, quod in rebus instantibus et futuris cum subiunctiuo, in praeteritis autem similiter cum indicatio constructur, nomen habet μόριον ἀοριστολογικῆς, et cum iis particulis quibus subiicitur, verbo semper antecedit. Isocrates Orat. ad Demon. (p. 8.) Μέλιτα δ' ἂν εὐδοκίμους, εἰ φαίνοιο ταῦτα μὴ πράττων, ἀ τοῖς ἄλλοις ἂν πράττεισιν ἐπιτιμῶς. Idem ibidem, (p. 18.) Οὕτω δ' ἂν μάλιτα βεβλευσθαι παροξυνθεῖς, εἰ τὰς συμφορὰς τοῖς ἐκ τῆς ἀβελτίας ἐπιβλέψαις. Demosthenes Orat. Olynth. I. (p. 3.) Εἰ γὰρ ἴην αὐτὴν παρειχόμεθ' ἡμεῖς ἢ ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν προθυμίαν, ἢ περὶ ὑπὲρ τῆς τῶν Εὐβοέων σωτηρίας, εἴχετ' ἂν Ἀμφίπολι τότε, ἢ πάντων τῶν μετὰ ταῦτα ἂν ἦτε ἀπηλλαγμένοι πραγμάτων. Ad quem locum in annotationibus Wolfius, Exhibebamus, inquit, pro exhibuissimus. Ἐναλλαγή Graecis et necessaria, et frequens.



quens. Et εἴηεν ἄν, haberetis, habuissetis. Carent enim optatiuo et subiunctiuo imperfecti et plusquamperfecti. Quis ita Graecae linguae rationem ad Latinae ingenium exigat, vt sicubi altera in vsurpando vel tempore, vel modo ab altera differt, alterutri enallagen tribuat? Habent et Graeci vtrumque vtriusque temporis modum: nam optatiuus et subiunctiuus praesentis et parakimeni, est etiam optatiuus et subiunctiuus imperfecti et plusquamperfecti: sed quia imperfectum et plusquamperfectum optatiui et subiunctiuui modi rem praeteritam vt futuram significant, relinquuntur vt etiam in obliquo sensu ad rem praeteritam vt praeteritam significandam, illa duo tempora, et imperfectum et plusquamperfectum, modo indicatiuo sint adhibenda. Similis est ratio aoristi, qui quod subiunctiuo et optatiuo modo rem vel futuram vt praeteritam, vel praeteritam vt futuram significat, in re praeterita vt praeterita quamuis oblique significanda modo indicatiuo effertur. Latini qui verbum optatiuum et subiunctiuum vnus eiusdemque terminationis habent, ideoque aut optatiuo etiam pro subiunctiuo, aut subiunctiuo etiam pro optatiuo dicendi sunt vti, rursus tamen eius verbi tempus imperfectum et plusquamperfectum habent peculiaris formae: quorum vtroque quia vtuntur aequae ad rem praeteritam vt praeteritam, quam ad praeteritam vt futuram significandam, efficitur vt in obliquo sensu ipsi nunquam verbum indicatiuum necesse habeant vsurpare. Sed tamen in re significanda possibili non ita verbum subiunctiuum aut necessario debent, aut perpetuo possunt adhibere, vt non et indicatiuo sit locus relictus. Nam primum in re praeterita conditionem sequente adhibent et ipsi nonnunquam et imperfectum, et plusquamperfectum, et aoristum indicatiui: quam consuetudinem a poetis imitandorum Graecorum peregrinitatis studio frequentatam, ex historicis maxime Tacito adamauit. Sed nec Cicero plane refugit hunc Graecismum. Vt ad Diu. I, 7. *Poterat vtrumque praecclare, si esset fides, si grauitas in hominibus consularibus.* Et XII, 10. *Praecclare viceramus, nisi Lepidus recepisset Antonium.* Et de Orat. III, 3. *subintellecta conditione si diutius vixisses,*  
tibi



tibi pro virtute constantiaque tua civilis belli subeunda fuit crudelitas. Deinde si conditionem futuram exprimunt futuro aut infecto, aut cuius frequentioremsum vsum occurrere necesse est, exacto, vtrumque autem est indicatiui, rem consequentem possibilem futuro exacto consueuerunt semper exprimere. Cicero ad Diu. XVI, 3. *Satis quotidie video, si valebis.* Et epistola sequenti, *Satis te mature video, si plane confirmatum video.* At Graeci ad conditionem futuram significandam, pro futuro exacto aoristum verbi vel subiunctiui, vel optatiui, et ad rem consequentem possibilem, pro eodem illo futuro exacto aoristum optatiui semper vsurpant. Nam si rem consequentem futuro exacto efferunt, quod vbi fit, conditionem efferunt aoristo verbi tantum subiunctiui, aut illius participio in subiunctiuum resoluedo: tum illa res necessaria, et vt cum Deuario loquar, in actu posita intelligitur. Aristophanes Nub. 116. Ἦν ἔν μοι θῆς μοι τὸν ἀδίκον τέτον λόγον. Ἄ νῦν ὀφείλω διὰ σέ, ἴεταν τῶν χρεῶν οὐκ ἂν ἀποδοίην εἰδ' ἂν ὀβολὸν εἶδεν. Aristoteles Top. VII, 5. §. 2. Ἐν γὰρ ὅποιον ἂν ἀνασκευάσαιτες, ἀνηρηκότες ἐσόμεθα τὸν ὄρον. Duo reliqua exempla iam dedimus. Tamen pro aoristo verbi optatiui nonnunquam, etsi raro, futurum infectum indicatiui cum ἂν particula inuenias ad rem consequentem possibilem exprimendam adhiberi. Xenophon C. P. II. pr. οὐκ ἂν ὁ ἀρετῆς σε ἀπέσαντα εὐφρανεῖ. Quod ideo monemus, quia Grammaticorum princeps, Apollonius Alexandrinus (*de Synt.* III, 6.) & quem ei proximum ponas, Theodorus Gaza, (*L. IV.* p. 239.) ἀκατάλληλον esse aiunt, si quis τὸν ἂν δυνητικὸν addat futuro indicatiui. Etsi Gaza ipse alibi (*L. IV.* extr. p. 325.) hanc constructionem agnoscit, sed raram esse monet. Sic etiam ὁ ἂν ἀρετῆς σου ἀπέσαντα interdum cum futuro indicatiui efferitur. Xenophon C. P. VIII. (p. 324. ed. Basf. *Isingr.*) Ἀλλ' ὅς ἂν κατὰ δαί τε πλείστα δυνησεται σὺν τῷ δικαίῳ, κερήσεται τε πλείστοις σὺν τῷ καλῷ, τέτον ἔγω τὸν εὐδαιμονέστατον νομίζω. Quae nostra observatio et opinio fit in hac re, alius erit locus dicendi. Est autem singularis quaedam et Graecorum propria consuetudo, vt verbum potentiale adhibeant etiam in re facta quae saepius repetita est, idque vel paratatico, vel aoristo, et vel

sine



sine conditione, vel cum conditione per optatiuum expressa. In Aristophanis Pluto 1011. anus, Καὶ νῆ Δ', εἰ λυπεμένην γ' αὖθις ἰδοί με, Νιτάριον ἂν ἢ Βάτιον ὑπεκρέζετε. Chrenylus, Ἐπειρ' ἴσως ἤτησεν ἂν σ' ὑποδήματα. Ideo autem conditio non per indicatiuum exprimitur, quod alioqui neque ipsa, neque res consequens extitisse intelligeretur. Optatiuum autem solent Graeci etiam alias in rebus factis adhibere, non modo siquid vt dictum, significatum, promissum, imperatum, desideratum, speratum, cogitatum, vel quomodocunq; in animo versatum narrant, sed omnino quoties praecedens vel articulus postpositiuus, vel pronomen interrogatiuum, vel nomen, aut aduerbium loci, temporis, qualitatis, quantitatis relatiuum, vel coniunctio aut causalis, aut conditionalis, aut continuatiua, refertur ad verbum temporis praeteriti. Herodotus I, 35. Ἐπειθ' ἀνετο ἰούθεν ἰε ἢ ἰε εἴη. I, 44. Ἐκάλεε μὲν Δία καθάρσιον, μαρτυρούμενος τὰ ὑπὸ τῆ ζείνης πεπονθώς εἶη. I, 45. Λέγων ἴην ἰε πρόβλην ἐαυτῆ συμφορῆν, ἢ ὡς ἐπ' ἐκείνη τὸν καθήραντα ἀπολαλεκώς εἶη, εἰδὲ οἱ εἴη βιώσιμον. II, 44. Εἰρόμην ἰόσος χρόνος εἶη. Homerus Iliad. II, 188. Ὀυλίνα μὲν βασιλῆα ἢ ἔσχον ἄνδρα κινεῖη, Τὸνδ' ἀγαυαῖς ἐπέεσσιν ἐρητύσασκε παρασάας. III, 232. Πολλὰκι μιν ζείνοσεν ἀρηΐφιλος Μενέλαος Οἴκω ἐν ἡμετέρω, ὅποτε Κρήτηθεν ἰούλο: V, 1. Ἐνθ' αὖ Τυδείδη Διομήδει Παλλὰς Ἀθήνη Δάκε μένος ἢ, θάρσος, ἢ ἐδδῆλος μετὰ πᾶσιν Ἀργείοισι γένοιτο, ἰδὲ κλέος ἐδδλὸν ἄρειτο. Exemplum hoc postremum docere potest, etiam subiunctiuum in rei praeteritae narratione qualem definiimus, cum optatiuo mutari. Atque hoc fit, non solum particula ἢα, sed quauis alia voce quae τὸν ἂν ἀοριστολογμὸν adiunctum habet, praecedente. Xenophon C. P. II. (p. 64.) Ὅσα οἱ βέλτεροι νομιζόμενοι ἔχουσιν, ἐγνώσκων ὁ Κῦρος δὲν τὸς ὑπηρετάς ἔχειν, καὶ τῆτο ἀσκεῖν, ὡς μηδὲν ἀναίτιον ἔργον, ἀλλὰ πάντα νομιζοῖεν πρέπειν αὐτοῖς πράσσειν, ὅσα ἂν ὁ ἀρχων προσάττοι. Dedimus autem exempla HomERICA et Herodotea, vt pateat optatiuum non Attice, sicut Vigerus et alii tradunt, sed communi Graecorum consuetudine pro indicatiuo, et quod monere omittunt, pro subiunctiuo vsurpari. Etiam optatiui pro indicatiuo vsus ita crasse definiunt et Vigerus, et multi alii, non modo vt erudiant neminem, sed etiam vt ne ipsi quidem ab errore sibi cauere

C

possint.



possint. Xenophon Hist. Gr. II. (p. 45.) Λύσανδρος δὲ Φιλοκλέα πρῶτον ἐρωτήσας, ὅς τὸς Ἀνδρίους καὶ Κορινθίους κατακερημνίσει, τί εἴη ἀξίος παθεῖν, ἀρξάμενος ἐς Ἑλλήνας παρανομεῖν, ἀπέσφραξεν. Haec verba Vigerus (de Gr. dictionis idiotismis, V, 2. pag. 8.) interpretatur sic, *Lysander cum ex Philocle, qui Andrios et Corinthios praecipites egerat, quaesisset, qua poena dignus esset etc. simulque diserte ait, κατακερημνίσει positum esse pro indicatui plusquamperfecto, κατεκερημνίσει.* Atqui sententia est, *Lysander cum ex Philocle quaesisset, qui Andrios et Corinthios praecipites egisset, qua is poena dignus esset etc.* Quodsi Xenophonis, non Lyfandri essent haec verba, ὅς τὸς Ἀνδρίους καὶ Κορινθίους κατακερημνίσει, foret soloeca oratio, quia praecedens articulus postpositivus non ad verbum, sed ad Philoclis nomen relatus, optativum adsciscere non potest. Omnino Vigerus multis in locis perquam grauter solet peccare, neque corrector eius Hoogeveenius talia vitia emendavit. Ceterum Graeci saepe retinent et indicativum, et subiunctivum, referentes se ad tempus quo res aut fiebat, aut futura erat. Plerumque tamen admiscunt optativum, unde narratio partim directa, partim supina existit. Lysias Orat. XI. (p. 154. ed. Marburg. 1683.) Πότερον συνηγάρευες τοῖς κελύεσσι ἀποκτεῖναι, ἢ ἀντέλεγες; Ἀντέλεγον. Ἴνα ἀποθάνωμεν; Ἴνα μὴ ἀποθάνητε. Ἠγεμενος ἡμᾶς ἀδικὰ πάσχον ἢ δίκαια; Ἀδικα. Εἴτ' ὦ χετλιώτατε πάντων, ἀντέλεγες μὲν, ἵνα σώσεις, συνελάμβανες δὲ, ἵνα ἀποκτείνεις; Ibidem, (p. 174.) Μετ' ἐμείνον δὲ Λύσανδρος ἀνασῶς, ἀλλὰ τε πολλὰ τολμηρῶς εἶπε, καὶ ὅτι παρασπόνδους ὑμᾶς ἔχει καὶ ὅτι ἐπεὶ πολιτείας ὑμῖν ἔσται, ἀλλὰ περὶ σωτηρίας ὁ λόγος, εἰ μὴ παῖσαι αὐτῶν ἢ Θηραμένης κελύεσι. Xenophon Agef. II, 30. Ἐνταῦθα δὴ Ἀγησίλαος, γνῶς ὅτι εἰ μὲν μηδετέρω συλλήψαιτο, μισθὸν ἐδότερος λύσει τοῖς Ἑλλήσιν, ἀγορὰν δὲ ἐδότερος παρέξει, ὁπότερος τ' ἀν κερδήσῃ, ἔστος ἐχθρὸς ἔσται. εἰ δὲ τῶν ἑτέρω συλλήψαιτο, ἔστος γε εὖ παθῶν, ὡς γὰρ εἶκος, φίλος ἔσοιτο. ἔτω δὲ κείνας etc. Latini si res de qua loquuntur, ad verbum dicendi, significandi, existimandi, cognoscendi, volendi refertur, si persona eius verbi alia est quam quae loquitur, quodcunque sit illius verbi tempus, siue praeteritum, seu instans, seu futurum, eam rem semper expriment subiunctivo. Lilius XXVIII, 42. *Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Annibal sit,*



fit, ibi caput atque arcem huius belli esse. XXXII, 10. Philippus aliam aliarum conditionem esse respondit. Quas ipse cepisset, eas liberaturum. Quae sibi traditae a maioribus essent, earum hereditaria ac iusta possessione non excessurum. Si quas querebantur belli clades eae ciuitates, cum quibus bellatum foret: arbitrio quorum uellent populorum, cum quibus pax utrisque fuisset, se usurum. Nihil hic annotandum est, nisi quod in re praeterita inprimis Liuius saepe adhibere solet pro plusquamperfecto perfectum, et pro imperfecto praesens. XXXI, 30. Verumenimvero id se queri, quod — omnia simul diuina humanaque iura polluerit. — Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentamque: talem eum, si liceat, Aetoliam Graeciamque omnem facturum. — In ea delubra quae sola religione tuta fuerint, saeuisse. Vbi tamen rem alienae personae obiectam ea quae loquitur, simpliciter intelligi uult, indicatiuum usurpant. Cicero Verr. I, 54. Tutores haec nesciunt: quod actum erat cum Rabonio, putant id esse certissimum. Sin persona unius illorum uerborum quae nominauimus, eadem est quae loquitur, nisi alia causa exigat subiunctiuum, indicatiuum utuntur. Cicero ad Diu. V, 8. Has litteras uelim excisimes foederis habituras esse uim, non epistolae, meque ea quae tibi promitto ac recipio, sanctissime esse obseruaturum, diligentissimeque esse facturum. IX, 2. Ac mihi quidem iam pridem uenit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea quae agebantur hic, quaeque dicebantur, nec uiderem, nec audirem. Si tamen de re praeterita sermo est, etiam subiunctiuo utuntur, praesertim ubi res ut iam tunc uel dicta, uel cogitata intelligi debet. Cicero Catil. I, 8. Cum a me quoque id responsunt tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur: ad Q. Metellum praetorem uenisti. Praeterea subiunctiuum pro indicatiuum etiam in rei factae circumstantiis et conditionibus significandis haud raro solent adhibere. Liuius VIII, 8. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam imbant. Si hastati profigere hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant. Cicero Verr. I, 51. Rabonius, qui legem nossent, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculari mentio fit nulla; et qui non putaret sibi ex-



*pedire ita accipere, ne eodem modo reddendum esset: negat id sibi debere, negat oportere exigi. In Pis. 4. Tu — Sex. Clodium, qui nunquam antea praetextatus fuisset, ludos facere, et praetextatum volitare passus es. Haec ratio, ut pro erat vel fuerat, dicatur esset vel fuisset, adeo placuit belli Hispaniensis scriptori, ut ea etiam abutatur. Non enim adhiberi potest, nisi circumstantia quam indicat relatiuum qui, quae, quod, ut ad eius personae quae agebat, notitiam referenda intelligi debet. At ille adhibet fere in hominibus aut rebus describendis. Ut III. extr. Sic illud cum inscientibus accidisset, existimabat magna pars hominum qui in castris fuissent, se prope captos esse.*

Quae iam de singulis cuiusque modi temporibus, de temporum circumscriptione, de particularum ad tempora et modos habitu, de temporum et modorum enallage, de Graecorum scriptorum locis, ex hac doctrina vel deprauatis corrigendis, vel male correctis arguendis obseruauimus, ea quia sunt longioris tractationis, per partes alio tempore proponemus. Tibi autem Hofmanc, Scholae Thomanae Collega, quod cum antea saepe, tum hoc tempore vel rogatus, vel vltro per et multos, et bonos, et raros libros ex tua bibliotheca, quam indies auges, mihi quam diu volui vtendos dedisti; quod nonnullos quibus careres, mea causa vel ab amicis petiisti, vel nactus venales emisti; quodque praeterea voluntatem, animum, doctrinam, ingenium, omnia denique tua semper mihi patere voluisti: tibi igitur pro tot officiis tantaque in me beneuolentia maximas gratias et debere a me libens agnosco, et perpetuo habitum iri sancte polliceor.


---

### T H E S E S.


- 1) Qui errorem definiunt esse idearum coniungendarum disiunctionem, et disiungendarum coniunctionem, videntur negare esse errorem.
- 2) Quae quis affectu impulsus, non quae ratione permotus agit, videntur eius animum aperire.
- 3) Sapienti nihil praeter opinionem euenit.













AB 152 778

ULB Halle 3  
003 348 873



TA-OL

12









5

DE  
TEMPORIBVS ET MODIS  
VERBI GRAECI ET LATINI

PARS PRIMA

SCRIPSIT ET  
AMPLISS. PHILOS. COLLEGII VENIA  
DIE VI DEC. A C. N. CIOCCCLXVI

PVBLICE DEFENDIT

FRIDER. VOLGANGVS REIZIVS

VINSEMIVS A. M.

ASSVMTO AD RESPONDENDVM SOCIO  
GOTLOB HENR. TRENKMANO  
LIPSIENSI LEG. CVLT

LIPSAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA

